



**Commentariorvm, Ac Dispvationvm In Primam Partem
Sancti Thomæ Tomvs ...**

Complectens Quæstiones à XXVII. vsque ad LXIV. & à Quæstione CVI.
vsque ad CXIV.

Vázquez, Gabriel

Antverpiæ, 1620

Dispvt. CL. An Spiritus sanctus procedat Patre & Filio vt à duobus
spirantibus vi suæ processionis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81000](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81000)

An Spiritus S. procedit à Patre & Filio, vt à duobus Spirantibus vi suæ Processionis.

Dua Scholasticorum opiniones, cap. 1.

Spiritum S. posse quatuor modo postulare ex parte principij duo suppositi, a. verior sententia est cap. 2.

Satis sit argumentis Scoti, cap. 3.

CAPVT I.

Dua Scholasticorum opiniones.

PRÆsentis controuersie difficultas non est, an sint plura principia neque, an sint dicendi plures spiratores, Pater & Filius: id enim iam definitum est: neque an dici possint plures spirantes adiectiue: hoc enim manifestum erit ex his, quæ dicemus disp. 15. c. 8. sed an virtus spirandi sit in duobus suppositis, & natura sua id requirit, vt processio Spiritus sancti, quatenus talis est, secundum suam characteristicam proprietatem postulet duo supposita ex parte principij, quæ in quarto modo dicendi per se cum ipsius productione comparentur alio quidem modo, quam potentia creandi est in tribus suppositis: in his enim ita natura sua necessario est, vt eorum pluralitas non comparetur per se in quarto modo, ex parte principij, cum productione creaturarum, quia eodem modo intelligitur creatura procedere à Deo inno, si essentia diuina esset in vno supposito, quoniam nunc intelligitur, cum essentia diuina est in tribus: accidere namque potest, vt duo per se, & necessario inter se coniungantur, in secundo aut primo modo dicendi per se, sicut passionibus coniunguntur essentia, & essentia passionibus, & tamen non coniungantur in quarto modo qui est, cum effectus per se prædicatur de causa, & de principio, vel contra. Et hoc modo intellecta quæstio inter Scholasticos disputatur, nemo enim dubitat principium spirandi necessario esse in duobus suppositis non per accidens, sed per se, summaque necessitate eis coniunctum, an vero sint per se quatuor modo requisita ex parte principij ratione talis processionis Spiritus sancti per talem amorem, non eodem modo sentiant.

Sic igitur prima inter Scholasticas opinio Scoti in 1. dist. 12. q. 1. qui duo asserit, vnum est Spiritum sanctum vi suæ processionis, & characteristice proprietatis non postulare ex parte principij duo supposita spirantia, quocirca eodem modo proceditur, hoc est, eiusdem naturæ, & proprietatis futurum, si principium spirandi esset in vno supposito; sicut nunc procedit, cum est in duobus: quoniam admodum principium creandi, quatenus principium creandi est, non requirit per se esse in tribus. Probat primum, quia quoties principium alicuius operationis, & productionis aique perfectæ est in vno supposito, atque in duobus, non postulat plura supposita per se in quarto modo, quatenus creaturæ cum operatione, & effectus voluntas autem fertur cum operatione, & effectus: voluntas autem Dei ad spirandum ita perfectæ est: in vno supposito, atque est in duobus: siquidem esset diuina, vt supponitur, ergo in vno supposito sufficeret spirare, & eodem modo, quo nunc spirat: veluti si omni-

iam spirator, vel principium spirandi constitutum eo modo, quem diximus. Pro hac sententia Gabriel refert Ochamum.

Ocham.

Ceterum hanc opinionem acriter impugnat Gregorius: tum quia in Deo nihil sit constitutum, eo quod in Deo non sit distinctio inter id, quod constituit, & id, quod constituitur: tum etiam, quia sequeretur, esse quatuor in Deo personas. Hæ tamen rationes parum valent, quo minus probabilis sit sententia Gabrielis: eodem namque modo probabilis esset sententia Scoti & Caietani, qui ponunt indiuiduum deitatis concretum, & constitutum communi quadam subsistentia: at hæc opinio non censetur improbabilis, quatenus asserit, esse commune concretum constitutum, præintellectum tribus personis, nempe indiuiduum deitatis. Nec enim licet inferre, esse quatuor personas; quia personæ in Deo debent distinguirealiter, & esse incommunicabiles: at indiuiduum illud non distinguitur realiter à tribus personis, nec incommunicabile est. Nec etiam oportet distinguirealiter id, quod constituit, & constitutum, vt dicamus in Deo esse aliquid constitutum. Nam constitutio in diuinis per intellectum est eo modo, quo personæ constituuntur, vt explicabitur infra disp. 158. c. 1. eodem pacto de principio spirandi, seu de concreto spiratoris in sententia Gabrielis eadē omnino probabilitate philosophari licet, de quo disp. 156. c. 3. dicemus. Cananensis in commentario huius articuli parte 3. docet nomē, principium, supponi determinate pro potentia spirandi in concreto significata, determinate in quā. vt Logici loquuntur, sicut in hac propositione, homo currit, supponitur terminus, homo. Addit etiam sub termino: illo, principium, assignari posse singulare quoddam: nam Pater, & Filius sunt hoc principium.

Canar.

Verior solutio
argumenti
Durand.

Ego tamen existimo nomen principium, ibi non supponi determinate, sicut supponitur terminus, homo, in hac propositione, homo currit: sed singulariter, sicut terminus, Deus, in hac, Pater & Filius sunt vnus Deus. Cum enim dicimus, Pater & Filius sunt vnus principium spirandi, perinde est, ac si dicamus, sunt vnum principium spirandi: quia principium spirandi, sicut spirator, vnum tantum est. Sed obseruandum est, eodem modo de hoc nomine concreto spirator, vel, principium, si pro concreto accipiat, philosophandum esse. atque de termino, Deus, ita vt directe significet naturam ipsam seu virtutem spirandi, connotet autem supposita habentia talem virtutem vage, hoc, vel illud, sicut de termino Deus, dicemus disp. 158. c. 2. id quod de omnibus concretis substantiis eodem modo asserendum est. Quo fit, vt multiplicatio eorum sumatur ex forma; quia est directum significatum: non ex suppositis, quæ solum sunt connotata: ideoque in concreto dicere debeamus, Pater, & Filius, sunt vnum principium, & vnus spirator Spiritus sancti, eadem prorsus ratione, qua dicimus, sunt vnus Deus. Sed de hoc fusius loco citato.

10

Ceterum, cum potentia spirandi etiam in abstracto significata, non solum significet essentiam, sicut de potentia generandi dicendum est disput. 164. sed etiam quodammodo determinatam relationem ex parte etiam vera esse potest sententia Gabrielis: nempe principium spirandi constitutum esse relatione: dummodo hoc intelligamus de ipso principio, etiam in abstracto eodem pacto, quo infra explicabitur.

si omnipotentia esset in vno tantum supposito, essetque diuina, eodem prorsus modo crearet. Deinde idem se probat, virtuti spiritali non ad idcirco quod ex pluralitate suppositorum: ergo frustra requiruntur per se plura supposita ad spirandum: nam si aliquid adderetur, esset ratio mutui amoris; alia namque perfectio addi non potest virtuti ex supposito: cum potius suppositum illam habeat ex virtute: ratio mutui amoris non confert per se ad productionem Spiritus sancti: est enim relatio solum rationis in producto, quæ nihil virtutis conferre potest potentia spirandi, neque in principio spirandi postulat aliquid reale per se: ergo substantialiter, & secundum proprietatem characteristicam eodem modo Spiritus sanctus procederet, sicut modo si in vno tantum supposito esset virtus spirandi.

Alterum, quod docet Scotus, est, nihilominus potentiam spirandi non esse in potentia proxima ad spirandum, quousque sit in duobus suppositis: non quia principium spirandi per se postulet, quatenus principium amoris est, duo supposita; sed quia quoties in aliquo agente sunt duo principia actiua inter se ordinata, posterius non est in potentia proxima ad operandum, quousque prius operetur: huiusmodi autem sunt potentia generandi, & spirandi: sicut intellectus & voluntas. Voluntas enim, cum sit posterior in operatione, nondum est in potentia proxima ad illam, donec intellectus operetur: cumque in Deo per intellectum procedat alterum suppositum, iam prius intelligimus potentiam spirandi in duobus, quam spiraret ratione ordinis, quam habet hæc posterior virtus cum priori. Quare (inquit Scotus) si per intellectum diuinum nulla persona procederet per voluntatem autem produceretur; voluntas nondum esset in potentia proxima ad spirandum, donec intellectus intelligeret: sed non esset prius in duobus suppositis, quam esset in potentia proxima ad operandum; eo quod pluralitas suppositorum non requiritur ex parte principij spirandi, vt tale est: sed ideo, quia posterior persona nondum est in potentia proxima, donec prior operetur: & nunc per priorem in Deo suppositum producit.

Secunda sententia est Durandi in 1. d. 11. q. 3. qui recitat opinionem Scoti, & S. Th. quam nos sequenti cap. referemus mediam ipse excogitauit. At igitur primo, si loquamur de spiratione secundum suam rationem formalem, esse quidem à Patre & Filio habentibus virtutem spirandi, non sicut à duobus, nec sicut ab vno spirante, sed solum quatenus habent virtutem spirandi, siue illa sit vna, siue plures; siue in vno, siue in pluribus resideat suppositis. Secundo docet, si sermo sit de modo intrinseco, quem habet spiratio, quatenus est vna simplex processio, Spiritum S. procedere à duobus: non prout habent virtutem spirandi, sed quatenus habent vnam virtutem, quæ æque perfecte est in vnoquoque, ac proinde non requiritur plura supposita per se ex parte principij. Tercio asserit, si quæstio procedat de modo, quem habet spiratio ex ordine ad aliquam extrinsecam, qui non tantum est in re, quam in ipsa voce, eo quod actus spirandi per similitudinem quandam tribuitur voluntati, cum reuera ab ea non procedat: hac ratione per se posita à duobus suppositis esset: sicque putat opinionem Scoti veram esse, si loquamur de re ipsa; & S. Thomæ opinionem similiter veram esse, si

sermo sit de modo loquendi, quatenus communiter tribui solet processio voluntati. Eandem sententiam sequi videtur Gabr. in modo loquendi in 1. d. 12. q. 2. art. 2. tamen si art. 1. notat. 2. sententiam Scoti circa rem ipsam sequi videatur: asserit namque eodem modo processurum Spiritum S. etiam si virtus spirandi esset in vno tantum supposito.

Sed, antequam veram opinionem exponam, obiter contra Durandum notare licebit id, quod disp. 11. c. diximus: falso nimirum ipsum asserere, processionem Spiritus sancti re ipsa esse proximè per naturam: per voluntatem autem sola voce & appropriatione, sicut eo loco satis probatum est. Quod si Durandus cum ceteris Scholasticis fateretur, Spiritum S. re ipsa per voluntatem procedere, doceret etiam absque dubio cum S. Th. ita secundum modum & characteristicam proprietatem suam à duobus procedere, vt per se quarto modo requireretur duo supposita spirantia: superest igitur, vt id contra Scotum sequi cap. monstremus.

CAPVT II.

Spiritus sanctum per se quarto modo postulare ex parte principij duo supposita, verior sententia est.

Multo probabilior opinio est, Spiritum S. per se quarto modo procedere à duobus habentibus eandem vim spirandi: ita vt si illa virtus in vno tantum esset, Spiritus S. secundum eandem characteristicam proprietatem non procederet. Quocirca non solum necesse est, virtutem spirantem esse in duobus suppositis, vt sit in proxima potentia operandi, sicut Scotus concessit; verum etiam, quia ex parte talis principij per se quarto modo plura requiruntur supposita. Sententia est S. Th. in hoc art. 4. in solut. 1. & in 1. d. 11. art. 2. in corpore, & art. 4. ad 2. quam sequuntur Caiet. Canariensis, & recentiores Thomistæ in hunc art. Capreolus in 1. d. 12. q. 1. conclus. 4. in eam inclinat Marsilius in 1. q. 1. art. 3. fauet quoque Henricus in summa art. 54. Marsilius cum asserit, principium spirandi esse voluntatem concordem duorum, qui se mutuo diligunt: nam de ratione mutue dilectionis est pluralitas: ideoque Spiritus sanctus secundum proprietatem sue processionis, dicitur mutui amor, differt tamen Henricus ab hac sententia in eo, quod asserit, principium spirandi esse voluntatem concordem in actu secundo volendi, & amandi, hic enim author, vt vidimus disp. 12. c. 1. putat, actus notionales, quibus personæ diuinæ procedunt, oriri ex essentialibus tanquam ex principio: id quod Scotus loco paulo ante citato acriter refellit, & nos fusius impugnauimus in ea disput.

Sed & Scotus arguit Henricum contradictione. Immo vbi nis, eo quod dixerit, etiam Spiritum sanctum distinguendum à Filio, licet ab illo non producat. Cum quo non videtur constare id, quod postea dicit, nempe Spiritum sanctum per se à duobus procedere, sic enim ab vno tantum procedere non posset. Frivola tamen est redargutio. Nam Henricus non asserit, Spiritum sanctum posse quidem ab vno solum supposito procedere, nec asserit futurum eiusdem proprietatis, cuius nunc est, si ab vno tantum procederet, sed facta suppositione, quod ab vno solum procederet, & vere esset persona diuina, siue eiusdem characteristicæ proprietatis.

Gabr.

6

S. Thom.

Caietan.

Capreol.

Marsilius in 1.

Henricus.

7.

Immo vbi
Scotus con-
tradictionis
arguit Hen-
ricum.

QVÆSTIO XXXVII.

De nomine Spiritus sancti, quod est amor.

DEinde queritur de nomine amoris. Et circa hoc queruntur duo.

ARTICVLVS I.

Utrum Amor sit proprium nomen Spiritus sancti.

AD primum sic proceditur. Videtur, quod amor non sit proprium nomen Spiritus sancti. Dicit enim August. de Trin. Nescio cur sit sapientia dicitur & Pater & Filius & Spiritus S. & simul omnes non tres, sed vna sapientia: non ita & charitas dicitur Pater & Filius & Spiritus S. & simul omnes vna charitas. Sed nullum nomen quod de singulis personis predicatur & de omnibus incommuni singulariter, est nomen proprium alicuius personæ. Ergo hoc nomen, amor, non est proprium Spiritus sancti.

2. Præterea Spiritus S. est persona subsistens: sed amor non significatur ut persona subsistens, sed ut actio quadam ab amante transiens in amatum. Ergo amor non est proprium nomen Spiritus sancti.

3. Præterea. Amor est nexus amantium: quia secundum Dion. 4. c. de diu. nom. est quædam vis vnitiua: sed nexus est medium inter ea quæ connectit, non autem aliquid ab eis procedens. Cum igitur Spiritus sanctus procedat à Patre & Filio (sic ostensum est) videtur quod non sit amor aut nexus Patris & Filij.

4. Præterea. Cuiuslibet amantis est aliquis amor: sed Spiritus sanctus, est amans ergo eius est aliquis amor. Si igitur Spiritus sanctus est amor erit amor amoris, & spiritus à spiritu, quod est inconueniens.

Sed contra est, quod Gregor. dicit in Homil. Pen. ostes, Ipse Spiritus sanctus est amor.

Respondeo dicendum, quod nomen amoris in diuinis sumi potest essentialiter & personaliter. Et secundum quod personaliter sumitur, est proprium nomen Spiritus S. sicut verbum est proprium nomen Filij. Ad cuius euidentiam sciendum est, quod cum in diuinis, ut supra ostensum est, sint duæ processiones: vna per modum intellectus, quæ est processio verbi: alia per modum voluntatis, quæ est processio amoris, quia prima est nobis magis nota ad singula significanda, quæ in ea considerari possunt, sunt magis propria nomina adinuicem, non autem in processione voluntatis.

V

volun-

198
1. d. 10. ar. 3.
2. d. 17. q. 2.
art. 2. qu. 2. q.
cor. Et ver. 4.
4. ar. 2. 6. lib.
11. de Trin. c.
17. ante med.
100. 3.

Cap. 4. p. 2. &
p. 1. non re.
mot. ante
finem.

Quæst. 36.
art. 2.

Homil. 20. in
Euangel. circa
ea princip.
illius.

q. 2. 7. art. 2. 3.
4. & 5.

ter eandem relationem in Spiritu sancto producta esse quidem rationis, nihilominus eam habere necessario fundamentum in re, neque enim relatio rationis provenit ex sola intellectus consideratione sine fundamento aliquo reali. Talis ergo debet esse Spiritus sanctus vi suæ processio- nis in re ipsa, ut in eo cogitari possit relatio mutua amoris, & per illum à nobis explicari charactistica illius proprietates: sed hoc non haberet, nisi in re principium spirandi esset in duobus: ergo proprietates illius hoc postulat suapte natura & vi suæ processio- nis, quæ est mutua dilectio.

Ceterum duo observanda sunt, alterum est cum dicimus mutua dilectionem esse processione in Spiritu sancti, non intelligere duplicem dilectionem ab vna in aliam personam, sed eandem simplicissimam, quæ cum vere sit à duobus, & ea se invicem diligant, habet veram rationem mutui amoris, & dilectionis.

Alterum est, cum dicimus proprietates duarum personarum esse conditiones requisitas pro potentia spirandi, per conditiones non intelligi aliquid requisitum, ut voluntas sit potentia spirandi, & principium quo. Nam ut dicimus disp. 164. c. 2. potentia spirandi tota est in Patre, & tota in filio, ac proinde habet in quolibet illorum totam modificationem necessariam ut sit potentia: sed dicimus duarum personarum proprietates esse conditiones non potentie spirandi secundum se, sed ipsius spiratoris & principij, quod, ac si dicemus, ut per hanc potentiam talis persona producat cum tali proprietate characteristica, nempe proprietate nexus duorum, tota ipsa potentia debet esse communis duobus suppositis, quæ per illam tanquam per communem formam producant. Sic enim fit ut dilectio, quæ procedit Spiritus sanctus, sit communis amor, & habeat rationem nexus, quam alias non haberet.

Tertio ad argumentum Durandi respon. eo, quodammodo calefactio, ut calefactio, postulet procedere à calore, ut calor est, siue vnus sit, siue plures, id enim accidit calefactioni; & amor, quatenus amor est, postulet solum procedere à voluntate, siue in vno, siue in duobus existat; tamen mutus amor per se quarto modo exigit à duobus produci; cumque, Spiritus sanctus ratione suæ characteristicae proprietatis sit amor mutus ratione illius necessario postulabit à duobus procedere.

Verum obijciat aliquis id, quod S. Th. q. seq. artic. 1. ad 3. dixit, nempe Spiritum sanctum esse nexum Patris & Filij, quatenus est amor, non autem ut est spiritus; quia in ratione spiritus solum in ludatur relatio quædam producta ad principium produciens: quare si spiritus sanctus non habet rationem nexus ex proprietate sua personali, consequitur per se non procedere à duobus suppositis, quatenus duo sunt, ut hæcenus dictum est. Respondet. Caiet. propter vocum inopiam nos uti nomine amoris, quod essentialiter est, ad significandam proprietatem tertie personæ: neque enim illa solum est producta, sed etiam est amor productus & ratione utriusque, hoc est amoris & proprietatis determinantis, & contrahentis amorem, habet rationem nexus, & vinculi: ideoque Pater Filius dicuntur se diligere Spiritu sancto, ut sequenti disp. explicabitur.

Vasquez in 1. part. Tom. 2.

voluntatis. Vnde & quibusdam circum locutionibus vtitur ad significandam personam procedentem: & relationes etiam quæ accipiuntur secundum hanc processionem & processionis & spirationis nominibus nominantur, vt supra dictum est: quæ tamen sunt magis nomina originis: quam relationis secundum proprietatem vocabuli. Et tamen similiter secundum utramque processionem considerare oportet. Sicut enim ex hoc quod aliquis rem aliquam intelligit, prouenit quædam intellectualis conceptio rei intellectæ in intelligente, quæ dicitur verbum: ita ex hoc, quod aliquis rem aliquam amat, prouenit quædam impressio (vt ita loquar) rei amate in affectu amantis secundum quam amatum dicitur esse in amante. sicut, & intellectum in intelligente: ita cum aliquis se ipsum intelligit, & amat est in ipso non solum per identitatem rei, sed etiam vt intellectum in intelligente, & amatum in amante. Sed ex parte intellectus sunt vocabula adinuenta ad significandum respectum intelligentis ad rem intellectam, vt patet in hoc quod dico intelligere. Et sunt etiam alia vocabula adinuenta ad significandum processionem intellectualis conceptionis, se ipsum dicere, & verbum. Vnde in diuinis intelligere solum essentialiter dicitur, quia non importat habitudinem principij verbi ad ipsum verbum procedens: sed verbum personaliter dicitur, quia significat id quod procedit. Ipsum vero dicere dicitur notionaliter, quia importat habitudinem principij verbi ad verbum ipsum. Ex parte autem voluntatis præter diligere & amare, quæ important habitudinem amantis ad rem amatam non sunt aliqua vocabula imposita, quæ important habitudinem ipsius impressionis vel affectionis rei amate, quæ prouenit in amante ex hoc quod amat suum principium aut è conuerso. Et ideo propter vocabulorum inopiam huiusmodi habitudines significamus vocabulis amoris & dilectionis, sicut si verbum nominarem intelligentiam conceptam, vel sapientiam genitam. Sic igitur in quantum in amore vel dilectione non importatur nisi habitudo amantis ad rem amatam amor & diligere essentialiter dicuntur, sicut intelligentia & intelligere. In quantum vero his vocabulis vtitur ad exprimendam habitudinem eius rei quæ procedit per modum amoris ad suum principium & è conuerso: ita quod per amorem intelligatur amor procedens, & per diligere intelligatur spirari amorem procedentem, sic a-

mor est nomen personæ, & diligere, vel amare est verbum notionale, sicut dicere vel generare.

Ad primum ergo dicendum, quod Aug. loquitur de charitate secundum quod essentialiter sumitur in diuinis vt dictum est.

Ad secundum dicendum, quod intelligere & velle & amare licet significantur per modum actionum transeuntium in obiecta: sunt tamen actiones amantes in agentibus (vt supra dictum est) ita tamen quod in ipso agente importantur habitudinem quandam ad obiectum. Vnde amor etiam in nobis est aliquid manens in amante, & verbum cordis manens in dicente, tamen cum habitudine ad rem verbo expressam vel amatam. Sed in Deo in quo nullum est accidens plus habet: quia tam verbum quam amor est subsistens. Cum ergo dicitur, quod Spiritus S. est amor Patris in Filium, vel in quicumque aliud, non significatur aliquid transiens in alium, sed solum habitu amoris ad rem amatam: sicut & in verbo importatur habitudo verbi ad rem verbo expressam.

Ad tertium dicendum quod Spiritus sanctus dicitur esse nexus Patris & Filij: quantum est amor: quia cum Pater amet vnica dilectione se & Filium, & è conuerso, importatur in Spiritu S. (prout est amor) habitudo Patris ad Filium, & è conuerso, vt amantis ad amatum. Sed ex hoc ipso quod Pater & Filius se mutuo amant, oportet quod mutuo amor qui est Spiritus S. ab utroque procedat. Secundum igitur originem Spiritus S. non est medius, sed tertia in Trinitate persona. Secundum vero prædictam habitudinem est medius nexus duorum ab utroque procedens.

Ad quartum dicendum, quod sicut Filio licet intelligat, non tamen sibi competit producere verbum quia intelligere conuenit ei vt verbo procedenti: ita licet Spiritus S. amet, essentialiter accipiendo, non tamen conuenit ei, quod spiraret amorem, quod est diligere notionaliter sumptum: quia sic diligit essentialiter vt amor procedens, non vt à quo procedit amor.

Notationes circa Articulum.

CONCLUSIO est, Si amor accipitur notionaliter, vt significat habitudinem procedentem per modum amoris, nomen proprium Spiritus S. est amor. Hæc conclusio desumpta est ex Aug. 15. de Trin. 17. ubi dicit: "asserit amorem procedentem, qui est Deus esse Spiritum S. probatque ex illo i. Ioan. 4. Charitas est, qui diligamus inuicem, quia dilectio ex Deo est, & omnia, qui diligunt ex Deo nati sunt, & cognoscit Deum: qui non diligit, ex Deo natus est, & cognoscit Deum." Vbi Ioan. dicit, non nouit Deum, quoniam Deus charitas est.

q. 27. art. 4.
ad 3.

duo dicit, & dilectionem esse Deum, & dilectionem esse ex ipso Deo. est igitur Deus amor procedens, non alius quam Spiritus sanctus. Verum hunc locum explicat Concilium Mileitanum c. 4. de dilectione creata, cum dicit Ioan. *Dilectio ex Deo est*, indeque probat dilectionem, qua prosequimur Deum, esse donum ipsius. Nihilominus Deus ipse dicitur charitas, idque Ioannes dixit, ut commendaret nobis donum charitatis, quod eodem nomine, atque ipse Deus, vocatur, eoquemaxime Deo assimilamur.

Alij idem deducere conantur ex illo ad Coloss. *inset. 1. Et transfuit in regnum filij dilectionis sue*, quia nomine dilectionis putant, Spiritum S. significari; sed (ut optime notavit Aug. 15. de Trinit. c. 9. circa finem) dilectio ibi non potest accipi pro notionali amore; qui est Spiritus sanctus; alioqui & filius diceretur Spiritus sanctus, sicut dicitur filius dilectionis, quod est absurdum. Quare inquit, dilectione ibi viurpare pro amore essentiali, & dici filium dilectionis, id est, filium essentiae, non quod sit ab essentia secundum originem, sed quod eandem habeat essentiam cum patre, aut quod iuxta phrasim Hebraicam dicatur filius dilectionis, hoc est, dilectus; Hebraei enim nomina adlectionem non habent, & ideo substantiis in casu g'genendi videntur, quo pacto dicunt filij perditionis hominē perditum.

Ceterum notandum est primum, falsam esse sententiam Durandi, qui in 1. d. 3. q. 1. nu. 8. affirmat, nomen amoris nunquam accipi notionaliter in Deo, nisi secundum appropriationem, non sicut communia appropriari solent singulis personis, sed quia putat processionem Spiritus sancti non esse voluntatem, nisi solum similitudine quadam; vt vidimus disp. 111. c. 1. eademque ratione docuit nomen, verbum, non esse proprium secundae personae, sed solum illo modo appropriari, vt retulimus disp. 141. c. 2. quia videlicet eodem modo sensit filium non procedere per intellectum, sed eius processionem operationi intellectus similem esse; verumque autem ostēdimus esse falsum disp. 111. c. 1. Quocirca dicendum est, ideo nomen amoris appropriari quidem tertiæ personae, cum tamen ex se commune aliquid tribus personis significet, quia denotat operationem voluntatis, per quam Spiritus sanctus procedit.

Deinde notat frustra laborasse Aureolum, vt refert Capreolus in 1. d. 3. q. 1. art. 1. in argumentis contra quintam conclusionem, dum probare voluit in Deo duos esse amores, alterum essentialē alterum notionalē: nam (vt ait Caiet. in hunc art.) amor essentialis & notionalis idem sunt ex natura rei; notionalis vero solum super essentialē addit relationem productionis: id quod in vniuersum verum est de omnibus actibus essentialibus, & notionalibus inuicem collatis, vt disp. 113. ostensum est.

ARTICVLVS II.

Verum Pater & Filius diligant se Spiritu sancto.

AD secundum sic proceditur. Videtur, quod Pater & Filius non diligant se Spiritu sancto. Augustinus enim in 7. de Trinit. probat quod Pater non est sapiens sapientia genita. Sed sicut Filius est sapientia genita, ita Spiritus sanctus in 1. p. Tom. 2.

tus sanctus est amor procedens, vt dictum est. Ergo Pater & Filius non diligunt se amore procedente, qui est Spiritus sanctus.

2. Præterea. Cnm dicitur, Pater & Filius diligunt se Spiritu sancto: hoc verbum, diligere, aut sumitur essentialiter, aut notionaliter. Sed non potest esse vera secundum quod sumitur essentialiter: quia pari ratione posset dici quod pater intelligit Filio. Neque etiam secundum quod sumitur notionaliter: quia pari ratione posset dici, quod pater & filius spirant Spiritu sancto, vel quod pater generat Filio. Ergo nullo modo hæc est vera, pater & Filius diligunt se Spiritu sancto.

3. Præterea. Eodem amore pater diligit filium, & se, & nos. Sed pater non diligit se Spiritu S. quia nullus actus notionalis reflectitur super principium actus. Non enim potest dici quod pater generat se vel spirat se. Ergo etiam non potest dici quod diligit se Spiritu S. secundum quod diligere sumitur notionaliter. Item amor quo diligit nos non videtur esse Spiritus sanctus: quia importatur respectus ad creaturam: & ita ad essentiam pertinet. Ergo & hæc est falsa, pater diligit Filium Spiritu sancto.

Sed contra est quod Aug. dicit 6. de Trinit. quod Spiritus sanctus est quo generatus a generante diligitur, genitoremque suum diligit.

Libr. 6. de Trinit. c. 5. circa princ.

Respondeo dicendum, quod circa hæc questionem difficultatem affert, quod cum dicitur pater diligit Filium Spiritu sancto, cum ablatiuus construitur in habitudine alicuius causæ, videtur quod Spiritus sanctus sit principium diligendi & patri & filio: quod est omnino impossibile. Et ideo quidam dixerunt hanc esse falsam, pater & filius diligunt se Spiritu sancto. Et dicunt hanc esse retractatam ab August. in suo simili. cum se. retractauit istam, Pater est sapiens sapientia genita. Quidam vero dicunt quod est propositio impropria: & est sic exponenda, Pater diligit Filium Spiritu sancto, id est, amore essentiali, qui appropriatur Spiritui sancto. Quidam vero dixerunt, quod ablatiuus iste construitur in habitudine signi: vt sit sensus, Spiritus sanctus est signum, quod Pater diligit Filium, in quantum procedit ab eis Spiritus S. vt amor. Quidam vero dixerunt quod ablatiuus iste construitur in habitudine causæ formalis, quia Spiritus sanctus est amor, quo formaliter Pater & Filius se inuicem diligunt. Quidam vero dixerunt, quod construitur in habitudine effectus formalis. Et isti propinquius ad veritatem

Lib. 1. retract. c. 26. aliquā. tulum a prim. tom. 2.

acceſſerunt. Vnde ad huius euidentiam ſciendum eſt, quod cum res communiter denominentur à ſuis formis, ſicut album ab albedine, & homo ab humanitate: omne illud à quo aliquid denominatur quantum ad hoc habet habitudinem formæ: Vt ſi dicam iſte eſt indutus veſtimento, iſte ablatius conſtruitur in habitudine cauſæ formalis, quamuis non ſit forma. Contingit autem aliquid denominari per id quod ab ipſo procedit, non ſolum ſicut agens actione, ſed etiam ſicut ipſo termino actionis, qui eſt effectus, quando ipſe effectus in intellectu actionis includitur. Dicimus enim quod ignis eſt calefaciens calefactione quamuis calefactio non ſit calor qui eſt forma ignis, ſed actio ab igne procedens. Et dicimus, quod arbor eſt florens floribus: quamuis flores non ſint forma arboris, ſed quidam effectus ab ipſa procedentes. Secundum hoc ergo dicendum, quod cum diligere in diuinis dupliciter ſumatur, eſſentialiter ſcilicet, & notionaliter, ſecundum quod eſſentialiter ſumitur, ſic Pater, & Filius nō diligunt ſe Spiritu ſancto, ſed eſſentia ſua. Vnde Aug. in 15. de Trinit. Quis audeſt dicere Patrem, nec ſe, nec Filium, nec Spiritum S. diligere, niſi per Spiritum ſanctum? Et ſecundum hoc procedunt primæ opinioniones. Secundum vero quod notionaliter ſumitur, ſic diligere nihil eſt aliud quam ſpirare amorem, ſicut dicere eſt producere verbum, & florere eſt producere flores. Sicut ergo dicitur arbor florens floribus, ita dicitur Pater dicens verbo vel Frio ſe & creaturam. Et Pater & Filius dicuntur diligentes Spiritu ſancto, vel amore procedente & ſe, & nos.

Lib. 15. de
Trinit. cap. 7.
inter prin-
cipium &
medium,
et m. 3.

In corp. art.

Ad primum ergo dicendum, quod eſſe ſapientem vel intelligentem in diuinis nō ſumitur niſi eſſentialiter. Et ideo non poteſt dici, quod Pater ſit ſapiens vel intelligens Filio. Sed diligere ſumitur non ſolum eſſentialiter, ſed etiam notionaliter. Et ſecundum hoc poſſumus dicere, quod Pater & Filius diligunt ſe Spiritu ſancto, ut dictum eſt.

Ad ſecundum dicendum. quod quando in intellectu alicuius actionis importatur determinatus effectus, poteſt denominari principium actionis ab actione & ab effectu: ſicut poſſumus dicere quod arbor eſt florens floritione & floribus. Sed quando in actione non includitur determinatus effectus, tunc non poteſt principium actionis denominari ab effectu, ſed ſolū ab actione. Non enim dicimus, quod arbor producit florem flore, ſed produ-

ctione floris. In hoc igitur quod dico, ſpirat vel generat, importatur actus notionalis tantum. Vnde non poſſumus dicere quod Pater ſpiret Spiritu ſancto, vel generet Filio. Poſſumus autem dicere, quod Pater dicit verbo tanquam perſona procedente, & dicit dictione tanquam actu notionali: quia dicere importat determinatam perſonam procedentem: cum dicere ſit producere verbum. Et ſimiliter diligere prout notionaliter ſumitur, eſt producere amorem. Et ideo poteſt dici, quod Pater diligit Filium Spiritu ſancto tanquam perſona procedente, & ipſa dilectione tanquam actu notionali.

Ad tertium dicendum, quod Pater non ſolum Filium, ſed etiam ſe & nos diligit Spiritu S. quia (ut dictum eſt) diligere prout notionaliter ſumitur, non ſolum importat productionem diuinæ perſonæ, ſed etiam perſonam productam per modum amoris, qui habet habitudinem ad rem dilectam. Vnde ſicut Pater dicit ſe & omnem creaturam verbo quod genuit, in quantum verbum genitum ſufficienter repræſentat Patrem & omnem creaturam: ita diligit ſe & omnem creaturam Spiritu ſancto, in quantum Spiritus ſanctus procedit, ut amor bonitatis primæ ſecundum quam pater amat ſe & omnem creaturam. Et ſic etiam pater quod reſpectus importatur ad creaturam & in verbo & in amore procedente quaſi ſecundario, in quantum ſcilicet bonitas & veritas diuina eſt principium intelligendi & amandi omnem creaturam.

DISPUTATIO CLI.

Quare dici poſſit, Pater, & Filius diligunt ſe Spiritu ſancto.

Varie Scholaſticorum opinioniones. cap. 1.

Probabilior ſententia ratione S. Thomæ, Bonaventuræ, &

Thomiſtarum explicatur. cap. 2.

Vera ratio prædictæ ſententiæ. cap. 3.

Soluntur quedam oppoſitiones. cap. 4.

Quæ ratione dici poſſit, Spiritus ſanctus diligit ſe, ſe ipſum.

cap. 5.

An recte dici poſſit, Pater eſt ſapiens, vel ſapiens ſapientia

genita. cap. 6.

Quæ ratione dici non poſſit Filius ſapiens ſapientia ge-

nita, vel ingenita. cap. 7.

CAPVT I.

Varie Scholaſticorum opinioniones.

Supponimus in hac controuerſia propoſitionem illam, Pater & Filius diligunt ſe Spiritu ſancto, alio quo modo dici poſſe. Sic enim loquitur Auguſtinus de Trinit. cap. 5. cuius verba retulimus diſputatione præcedenti cap. 3. Hieron. etiam in Pſalm. 17. ait, Spiritus ſanctus nec Pater nec Filius, ſed dilectio, quæm habet Pater in Filio, & Filius in Patre. Bernardus in illa de Veritate Dei. Amas te (inquit) amabilis Domine, cum dicitur, & Filio procedis Spiritus ſanctus amor Patris ad Filium, & Filij ad Patrem, & tantus amor, ut ſu veniat. Hæc Auguſtinus de S. Tr.

QVÆSTIO XXXVII.

De nomine Spiritus sancti, quod est amor.

D E inde queritur de nomine amoris. Et circa hoc queruntur duo.

ARTICVLVS I.

Utrum Amor sit proprium nomen Spiritus sancti.

A D primum sic proceditur. Videtur, quod amor non sit proprium nomen Spiritus sancti. Dicit enim August. de Trin. Nescio cur sit sapientia dicitur & Pater & Filius & Spiritus S. & simul omnes non tres, sed vna sapientia: non ita & charitas dicitur Pater & Filius & Spiritus S. & simul omnes vna charitas. Sed nullum nomen quod de singulis personis predicatur & de omnibus incommuni singulariter, est nomen proprium alicuius personæ. Ergo hoc nomen, amor, non est proprium Spiritus sancti.

2. Præterea Spiritus S. est persona subsistens: sed amor non significatur ut persona subsistens, sed ut actio quadam ab amante transiens in amatum. Ergo amor non est proprium nomen Spiritus sancti.

3. Præterea. Amor est nexus amantium: quia secundum Dion. 4. c. de diu. nom. est quædam vis vnitiua: sed nexus est medium inter ea quæ connectit, non autem aliquid ab eis procedens. Cum igitur Spiritus sanctus procedat à Patre & Filio (sic ostensum est) videtur quod non sit amor aut nexus Patris & Filij.

4. Præterea. Cuiuslibet amantis est aliquis amor: sed Spiritus sanctus, est amans ergo eius est aliquis amor. Si igitur Spiritus sanctus est amor erit amor amoris, & spiritus à spiritu, quod est inconueniens.

Sed contra est, quod Gregor. dicit in Homil. Pen. ostes, Ipse Spiritus sanctus est amor.

Respondeo dicendum, quod nomen amoris in diuinis sumi potest essentialiter & personaliter. Et secundum quod personaliter sumitur, est proprium nomen Spiritus S. sicut verbum est proprium nomen Filij. Ad cuius euidentiam sciendum est, quod cum in diuinis, ut supra ostensum est, sint duæ processiones: vna per modum intellectus, quæ est processio verbi: alia per modum voluntatis, quæ est processio amoris, quia prima est nobis magis nota ad singula significanda, quæ in ea considerari possunt, sunt magis propria nomina adinuicem, non autem in processione voluntatis.

V

volun-

ter eandem relationem in Spiritu sancto producta esse quidem rationis, nihilominus eam habere necessario fundamentum in re, neque enim relatio rationis provenit ex sola intellectus consideratione sine fundamento aliquo reali. Talis ergo debet esse Spiritus sanctus vi suæ processio- nis in re ipsa, ut in eo cogitari possit relatio mutua amoris, & per illum à nobis explicari charactistica illius proprietates: sed hoc non haberet, nisi in re principium spirandi esset in duobus: ergo proprietates illius hoc postulat suapte natura & vi suæ processio- nis, quæ est mutua dilectio.

Ceterum duo observanda sunt, alterum est cum dicimus mutua dilectionem esse processione in Spiritu sancti, non intelligere duplicem dilectionem ab vna in aliam personam, sed eandem simplicissimam, quæ cum vere sit à duobus, & ea se invicem diligant, habet veram rationem mutui amoris, & dilectionis.

Alterum est, cum dicimus proprietates duarum personarum esse conditiones requisitas pro potentia spirandi, per conditiones non intelligi aliquid requisitum, ut voluntas sit potentia spirandi, & principium quo. Nam ut dicimus disp. 164. c. 2. potentia spirandi tota est in Patre, & tota in filio, ac proinde habet in quolibet illorum totam modificationem necessariam ut sit potentia: sed dicimus duarum personarum proprietates esse conditiones non potentie spirandi secundum se, sed ipsius spiratoris & principij, quod, ac si dicemus, ut per hanc potentiam talis persona producat cum tali proprietate characteristica, nempe proprietate nexus duorum, tota ipsa potentia debet esse communis duobus suppositis, quæ per illam tanquam per communem formam producant. Sic enim fit ut dilectio, quæ procedit Spiritus sanctus, sit communis amor, & habeat rationem nexus, quam alias non haberet.

Tertio ad argumentum Durandi respon. eo, quodammodo calefactio, ut calefactio, postulet procedere à calore, ut calor est, siue vnus sit, siue plures, id enim accidit calefactioni; & amor, quatenus amor est, postulet solum procedere à voluntate, siue in vno, siue in duobus existat; tamen mutus amor per se quarto modo exigit à duobus produci; cumque, Spiritus sanctus ratione suæ characteristicae proprietatis sit amor mutus ratione illius necessario postulat à duobus procedere.

Verum obijciat aliquis id, quod S. Th. q. seq. artic. 1. ad 3. dixit, nempe Spiritum sanctum esse nexum Patris & Filij, quatenus est amor, non autem ut est spiritus; quia in ratione spiritus solum in ludatur relatio quædam producta ad principium produciens: quare si spiritus sanctus non habet rationem nexus ex proprietate sua personali, consequitur per se non procedere à duobus suppositis, quatenus duo sunt, ut hæcenus dictum est. Respondet. Caiet. propter vocum inopiam nos uti nomine amoris, quod essentialiter est, ad significandam proprietatem tertie personæ: neque enim illa solum est producta, sed etiam est amor productus & ratione utriusque, hoc est amoris & proprietatis determinantis, & contrahentis amorem, habet rationem nexus, & vinculi: ideoque Pater Filius dicuntur se diligere Spiritu sancto, ut sequenti disp. explicabitur.

Vasquez in 1. part. Tom. 2.

198

1. d. 10. ar. 3.
2. d. 17. q. 2.
art. 2. qu. 2. q.
cor. Et ver. 4.
4. ar. 2. 6. lib.
11. de Trin. c.
17. ante med.
100. 3.

Cap. 4. p. 2. &
p. 1. non re.
motis ante
finem.

Quæst. 36.
art. 2.

Homil. 20. in
Euan. c. 1.
ca. princip.
illius.

q. 2. 7. art. 2. 3.
4. & 5.